



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Episcopo Et Decano & Cantori Andegavensibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

ipso minus ordinatè in eodem negotio ac perperam processisse. Quare vos ab ipsis judicibus ad nostram audientiam postmodum appellatis; licet testes qui fuerant ab adversa parte producti, tam super metu quam illicita pactione deponere videbantur, essent in suo testimonio singulares. Proinde cum nihil esset de alterius intentione probatum, & ex litteris bona memoriae Wilhelmi Cenomanensis Episcopi manifestè constaret, confirmationibus quoque felicis recordationis Eugenij & Alexandri prædecessorum nostrorum Pontificum Romanorum postmodum subsecutis, sæpefatum locum cum pertinientiis suis de consensu fratrum habitantium in eodem monasterio vestro fuisse collatum, & præmissus Hamelinus Cenomanensis Episcopus modernis temporibus, pro eo quod loci ejusdem fratres vitæ ac conversationis extiterant dissolutæ, duorum confirmationibus Metropolitanorum obtentis, eundem locum de consensu fratrum vestro monasterio concessisset, prædicti procuratores vestri à nobis postulabant instanter ut sæpefatus Fontis Giardi fratibus perpetuum silentium imponere dignaremur. Ad hanc autem pars adversa respondit quod prædictus procurator fratrum de Linceo satis erat idoneus ad agendum, cum rescriptum illud tam nomine ipsorum de Linceo quam Fontis Giardi fratrum fuisset communiter imperatum; præsertim cum assenseretur domus eadem unum corpus, & causa inter eos proponeretur communis; allegans illud firmiter non obstat quod à parte vestra extitit tunc objecum, procuratorem dictum, à vobis videlicet constitutum, non potuisse item super aliis contestari quæ non fuerant in literis confirmationis annexa, nec judices etiam partes suas interponere potuisse, cum ad ipsos nequiverit iurisdictio prorogari. Nam cum lis per principales personas contestata fuisset, sicut in relatione judicum conspicitur contineri, nec in litis contestatione nec post publicationem testium id extitisset objecum, nec quod per procuratorem eundem factum fuerat, à vobis protinus contradictum, hujusmodi objecio debebat frivola reputari. Demum autem ex parte dictorum fratrum Fontis Giardi in modum exceptionis extitit allegatum quod litteræ præmissi Wilhelmi Cenomanensis Episcopi erant falsæ, pro eo scilicet quod sigillum ejus erat positum ex transverso, pertens ad id probandum judices sibi dari quam exceptionem, quia frustratoria vi-

debatur, nullatenus duximus admittendam. Nos igitur intellectis his & aliis per prædictum Capellum quæ à partibus propria fuerant coram eo, & habito cum fratribus nostris diligentè tractatu, vos & monasterium vestrum ab imperitione præmissorum fratrum Fontis Giardi prorsus absolvimus, perpetuum ipsis super hoc silentium imponentes. Donationem vero bonaæ memoriae Guilhelmi Cenomanensis Episcopi à felicis recordationis Eugenio & Alexandro nostris prædecessoribus confirmatam, necnon & concessionem quam prædictus Hamelinus Cenomanensis Episcopus cum assensu fratrum & I. patroni Fontis Giardi fecit, confirmatam postmodum à Gaufrido quondam Turonensi Archiepiscopo & Iohanne successore ipsius, ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo &c. diffinitionis &c. usque incursum. Datum Laterani i. t. Idus Iulij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

*E P I S C O P O   E T   D E C A N O  
& Cantori Andegavensis.*

**C**VM causam quæ inter dilectos filios heremites Fontis Giardi ex parte una & Abbatem & conventum majoris monasterij Turonensis & Iuhellum de Mediana patronum Fontis Giardi Cenomanensis dioecesis super eodem loco ex altera vertebarunt &c. in eundem ferè modum ut in alia usque confirmatus. Volentes igitur ut quod à nobis est ratione prævia diffinitum debet obtineat firmitatem, discretione vestre per apostolica scripta mandamus quatinus id faciat auctoritate nostra firmiter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quod si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero ea &c. Datum ut in alia per totum.

*H E N R I C O   G N E Z N E N S I  
Archiepiscopo.*

**C**VM Posnanienses Canonici electio- nem quam de dilecto filio magistro Paulo celebraffe noscuntur auctoritate per- terent apostolica confirmari, dilectus filius S. Cantor Posnaniensis Ecclesie pro se ac procuratario nomine pro G. ejusdem loci Præposito petitioni hujusmodi se oposuit, proponendo electionem ipsam fuisse post appellationem ad nos legitimè interpos- tam celebratam. Cum enim ad nos fuerit appellatum ut nonnisi de Ecclesie gremio